

nullus de caetero sacrificare attentet, sed secundum formam sacrosanctae Ecclesiae romanae, quam vos in omnibus imitari oportet, solum panem et vinum aqua mixtum in sacrificio corporis et sanguinis Christi offeratis.

Dat. Tusculani V. Idus Sept. 1181. (Bull. r. t. IX. p. 26. Ed. Luxbg.)

VIRGA.

1) Cantoris.

Cantor Cathedralis, qui cum aliis Dignitatibus et Canonicis ab Episcopo invitatus ad Collegiatam se confert, non valet virgam gestare, qua utitur in Cathedrali, sed ea uti valet Cantor Collegiatæ etiam praesentibus Canonicis Cathedralis. n. 4439 ad 5 et 6 die sine dato (videtur esse 28. Julii 1789.)

2) Poenitentiariorum.

Quoad virgam Poenitentiariorum datur hic ad litteram consultatio vigesima secunda tomi primi D. Jacobi Pignatelli, ut sequitur:

Consultatio XXII.

An Canonicus Poenitentiarius in Cathedrali Ecclesia uti possit virga sive, ut ajunt, bacchetta?

Non potest quia est praejudiciale Poenitentiariis Ecclesiarum Patriarchalium Urbis et novitatis inductivum. Quippe quaelibet Cathedralis non poterit sibi tamquam licitum arrogare quod in simili Romae gestum fuerit. Non enim talis canonicus Poenitentiarius est Poenitentiarius D. Papae, sed institutus ob observationem Decreti Conc. Trid. sess. 24. cap. 8 de reform. Cum autem tenere virgam in manibus sit signum supremæ auctoritatis, unde solus summus Poenitentiarius illam tenet eoque praesente minores Poeni-

tentarii virgam dimittunt: ideo concedi non debet cuicumque Poenitentiario cujuslibet ecclesiae sed solum illis, qui immediate sunt Poenitentiarii Summi Pontificis.

Accedit resolutio sacrae Cong. super causa Abulensium anno 1597 die 21. Aprilis. Quaesitum enim fuerat: an Canonicus Poenitentiarius teneretur auscultare confessiones etiam non reservatorum, an sedere et assistere in sede determinata statis temporibus et horis ante et post meridiem? an deberet tenere virgam in manu, sicuti servatur in Patriarchalibus Urbis? Et responsum fuit affirmative ad duo priora quaesita; ad tertium autem, novas consuetudines non esse inducendas. Idem quoque declaravit sacra Cong. Episcop. et Regular. die 16. Mai 1596 in una Neapolitana per haec verba: „Che senza privilegio apostolico non possono i Confessori tener in mano le bacchette, come fanno i Penitenzieri di Roma.“

Quare cum sit contra usum totius Ecclesiae, nusquam enim tales Poenitentiarii virgam tenent, contra consuetudinem et rationem permitti non debet, prout non permitti decrevit sacra Cong. Concilii in una Romana Poenitentiarii Lateranensis die 13. Nov. 1639, de qua testatur Dominicus Andolphinus Parochus s. Luciae ad apothecas, vir pius et ecclesiastica eruditione apprime imbutus.

Major poenitentiarius potest concedere Indulgentiam centum dierum omnibus Christifidelibus, qui ipsi poenitentiarii virga tangendos se submiserint: Innocent. XII. constit. incip.: *Romanus Pontifex*.

VISITATIO.

1) Aedium eccles.

In Visit. aed. eccl. peragenda est inquirendum de:

- 1) Incolis.
- 2) Cohabitatione ancillarum.
- 3) Facinoroso latibulo.
- 4) Reparatione.
- 5) Distantia ab Ecclesia.

Gavant. Merat. V. p. 66. Ed. Venet. 1823.

2) Altaris.

a) Pro lucrando Jubilaeo.

Vd.: Visit. Eccles. (pro lucrando Indulg. Jubil.)

b) Modus.

Vd.: Visit. (Ecclesiae — modus —; utensilium etc.)

In Visit. alt. peragenda est inquirendum de:

- 1) Altare majori.
- 2) Gradu ad illud.
- 3) Gradu in eo.
- 4) Ara lapidea.
- 5) Consecratione totius.
- 6) Tela cerata, immobilis.
- 7) Fenestella.
- 8) Mappis tribus vel una duplicata.
- 9) Earum benedictione.
- 10) Cruce.
- 11) Candelabris.
- 12) Icone.
- 13) Stautis.
- 14) Tabella secretarum.
- 15) Tela stragula.
- 16) Mutatione mapparum.
- 17) Palliariis.
- 18) Umbellis.
- 19) Suppedaneo.
- 20) Fenestra urceorum.
- 21) Cancellis.
- 22) Cereostata.

Decreta authentica. Tom. III. Part. II.

- 23) Campanula.
- 24) Clavo pro bireto Sacerdotis,
- 25) Pulvinari.
- 26) Tabella ultimi Evangelii.
- 27) Dote altaris.
- 28) Patrono.
- 29) Oneribus Missarum.
- 30) Titulo beneficii.
- 31) Festis.
- 32) Officio
- 33) Privilegiis Defunctorum.

Gavant. Merat. t. V. p. 65. (Ed. Venet. 1823.)

3) Archidiaconi.

Dub. I.: An Archidiaconus Ecclesiae Gerundens. per se visitare possit ecclesiam, Capitulum, Canonicos et Dioecesim et necessaria ad bonum ecclesiae regimen demandare in casu?

Dub. II.: An idem Archidiaconus procedere valeat in visitatione et extra eam contra capitulum et singulos Canonicos tam in civilibus quam in criminalibus sine conjudicibus et adjunctis ejusdem capituli in casu?

S. C. C. resp.

Ad I.: Negative quoad ecclesiam Cathedralis et Capitulum et in reliquis affirmative.

Ad II.: Quoad provisionem provisionem in superiori; extra vero visitationem Archidiaconum procedere debere cum adjunctis ad formam concilii in criminalibus tantum.

Die 12. Feb. 1729.

Vetitam Archidiaconis esse Dioecesis visitationem absque Episcopi iicentia, ut observant Canonistae omnes in Cap. 1. de Offic. Archid., et statuit Concil. Trident. sess. 24 cap. 3. de Refor.

(Ex resol. S. C. C. die 16. Sept. 1769.)

4) De Baptismalibus.

Vd.: *Visit. Parochi.**In Visit. Baptism. peragenda est inquirendum de:*

- 1) Qualitate fontis.
- 2) Conopaeo.
- 3) Umbella.
- 4) Cancellis.
- 5) Imagine s. Joannis Bapt. Christum baptizantis.
- 6) Aqua.
- 7) Sacratio vicino.
- 8) Cochleari pro infundenda aqua.
- 9) Vase oleorum sacrorum.
- 10) Sale.
- 11) Linteis ad tergendia capita.

*Gavant. Merat. t. V. p. 65. (Ed. Venet. 1823.)**In Visit. de Bapt. peragenda est inquirendum:*

1. An fons sint lapideus vel ex alia materia solita cum cooperulo ex metallo sine rimulis, propeque adsit Sacrarium?

2. An fonti affixum sit tabernaculum seu, ut appellant, ciborium saltem ligneum decore fabrefactum, in quo sit condignatio, ubi vascula argentea seu stannea oleorum chrismatis et catechumenorum reponantur cum suis inscriptionibus?

3. An ibi retineatur cochlear argenteum seu saltem stanneum ad fundendam aquam in caput Baptizandi, vas cum sale benedicto et linteamina munda?

4. An ciborium decenti conopaeo vestiatur ne sordes superne decendant et illud commaculent et firmissima sera claudatur?

5) An obstetrices sint examinatae et approbatae?

6. An admittantur Patrini minores annis 14 et Matrinae minores 12, et an Regulares vel Clerici in s. Ord. constituti sine licentia?

(Act. Mediol. Eccles. p. 1. Synod. dioec. 3. Dec. 17.)

7. An Baptismus infantium protrahetur et differatur ultra tres dies et nomina ethnicorum imponantur? (*Clement. Unic. de Baptism.*)

8. An baptizati eodem die a Parocho vel alio, qui de ejus licentia aut Episcopi Sacramentum minstravit, describantur in libro baptizatorum?

9. An hoc Sacramentum extra casum necessitatis conferatur domi?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad I. t. post n. 267.

5) B. Mariae V.

a) Festi ritus.

Quum Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX. ab exordio sui Pontificatus praesentissimum ac validissimum Beatae Mariae Virginis patrocinium fuerit expertus, dum aetate nostra Petri navis undequaque et raro exemplo saevis tempestatum fluctibus jactaretur et ipse acerbitate temporum ab Urbe discedere coactus ad multos menses ingemere debuit super immensa errorum peste longe lateque impune grassante et insanientium hominum congerie in ecclesiastici Status loca confluentium, ut et humana et divina jura pessum ipsi darent, ac animo reputans sexto Nonas Julii superiore anno, quo die ab Ecclesia peculiare recolitur Festum Visitationis ejusdem Deiparae, fuisse excussum occupantium jugum ab Urbe et aliquot post dies civilem Apostolicae Sedis Principatum fuisse restitutum opibus, consilio et armis inclytarum Nationum et Principum, accito Rmo Cardinali Aloisio Lambruschini Episcopo Portuensi sanctae

Rufinae et Centumcellarum, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, Decessores suos s. Pium V. et sa. me. Pium VII. aemulatus mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimae Virgini, quae insperato sibi et fidei Populo christiano in adiutorium venit, hoc ipsum Visitationis Festum ducatur in posterum per universum Orbem ritu duplici secundae classis. Atque hoc Decretum in Acta Sacrorum Rituum Congregationis reponi ac publici juris fieri mandavit pridie Kalendas Junii Anno 1850.

A. Card Lambruschini Ep.
Portuensis etc.

S. R. C. Praefectus.

Loco † Sigilli.

Correspond. de Rome Ed. II. 14. Aug. 1850. n. 37 p. 48.

b) Institutio.

Institutio festivitatis Visitationis B. Mariae Virginis pro die 2. Julii cum adhortatione ad jejunium vigiliae indulgentisque pro interessentibus officiis dictae festivitatis ex constitutione Urbani VI.

*Bonifacius (IX.) Episcopus servus servorum Dei.**Ad futuram rei memoriam.*

Superni benignitas Conditoris, humanam creaturam ad similitudinem suam creatam misericordiae pietate recipiens, etiam collapsam fore primi parentis lapsu considerans, illam miro decrevit consilio relevandam, ut scilicet verbum supernum, quod erat in principio, eam a mortis nexibus liberaret. Igitur pii Patris, qua nos dilexit, caritas temporis veniente plenitudine Verbum ipsum aeternum, sub forma servi, carnem nostrae mortalitatis as-

sumere, ut eandem mortem nostram moriendo destrueret ac damnationis sententiam simul et maculam, quam, per reatum primi hominis, generis humani posteritas incurrisse noscebatur, clemens verbi aeterni bonitas aboleret. Quapropter de clara stirpe regia Davidica praelegit virginem, in cujus utero, mystico spyramine, verbum ipsum carnem susciperet, ut egredere-tur, juxta verbum propheticum, virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascenderet et requiesceret spiritus domini super eum; perfectam reginam inclytam matrem eligens, quae tanto Regi digna fuit sui corporis thalamum, praeparare, de quo tamquam sponsus prae filiis hominum procederet speciosus, locum in Nazareth, quae flos sanctitatis dicitur, ad suam conceptionem elegit, in quo, per angelicae salutationis eloquia, ipsius incarnati verbi mysteria miraque fuerunt solemnita celebrata. Ibi enim sumptissimus nostrae redemptionis exordia ibique primum dies sanctificationis illuxit, qui nobis de salute spem intulit et de aeternitate laetitiam. In hoc etenim tantae foecunditatis loco virgo regia venustissima a Domino conservata, flos sanctitatis, vas caelestis gratiae mundissimum, omnium virtutum floribus redimata, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, Redemptorem gentium virgo concepit datura lucem gentibus sub mortis caligine constitutis.

§. 1. Sane ipsa Regina caelorum, in cujus se clausit viscera Dei Filius factus homo, ex tanti honoris fastigio sibi per angelum nunciato nequaquam elationis assumpsit spiritum, sed tamquam ancilla humilis, quamvis mater effecta domini, humilitatis suae, quam respexit dominus, exequens officium, exurgens abiit in montana ad Elisabeth cognatam suam, quae vocabatur sterilis, jam semestri praegnantem,

cum festinatione: et quemadmodum ab angelo humillime salutationis suscepit oraculum, sic etiam ipsa Elisabeth humiliter salutavit; Elisabeth vero, ut salutationem audivit virginis gloriosae repleta Spiritu sancto et incarnati verbi mysterium in utero sentiens virginali, voce magna exclamavit et dixit: Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater domini mei ad me. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit prae gaudio infans in utero meo: et beata quae credidisti, quoniam perficientur in te quae dicta sunt tibi a domino.

§. 2. Ad quam virgo veneranda, in humilitatis spiritu, respondens illud mirabile canticum decantavit: Magnificat anima mea dominum et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen ejus. O magnum mysterium, o admirabile commercium, o ineffabile sacramentum, ut matres de pignoribus, quae gestabant in uteris, in spiritu praesentirent et etiam prophetarent et, ut sacri Evangelii pandit historia, caeli regina gravida partu consecranda divino, pro humilitatis amplioris signaculo, praecursoris sui, quem gestabat, filii, genitrici gravidae humanitatis impendit obsequium: quo impenso completoque hujusmodi visitationis quasi trium mensium tempore in domum suam est reversa.

Haec est enim illa de qua sacra canunt elogia: Sole amicta, Lunam habens sub pedibus, stellis coronari meruit duodenis, haec est enim illa quae in suis castis visceribus caeli terraeque gestavit Opificem et sola cunctas hae-

reses interemit et pro christiano populo, ut advocata strenua et exoratrix pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit.

§. 3. Igitur felicitis recordationis Urbanus Papa sextus, praedecessor noster, dignum reputans et debitum ut festum Visitationis ipsius B. Mariae Virginis, quando, ut praefertur, visitavit Elisabeth, in Dei Ecclesia celebretur, pio testimonio sancti suffultum Evangelii humanis nequit rationibus detrectari: ac attendens quod laudes tantae Virginis humana lingua non sufficit exprimere nec etiam sancti et justi eam, in cujus ille, quem caeli capere non poterant, se contulit aula virginali, dignis laudum praeconiis ad plenum effere poterunt: et considerans quod, ex quo Dominum in Sanctis suis laudare jubemur, quanto magis in veneratione B. Mariae Virginis matris ipsius, exsultantibus animis collaudare et ejus laudum augendo titulos, gratias referre, quem genuit, Filie debeamus, quae etiam exaltata super sidera, stellato consedit sui solio Generatoris, nec etiam divinae visus fuisset resistere voluntati, quae tam sibi quam aliis viris devotis ad hujusmodi sanctam festivitatem celebrandam, ut pie idem praedecessor credidit, dignata fuit mentem inspirare, deliberatione etiam super hoc matura praehabita, de fratrum suorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalum, de quo numero tunc eramus, consilio, ad exaltationem fidei catholicae dignae et rationabiliter videlicet sexto Idus Aprilis, pontificatus sui anno undecimo, statuit ut festum praefatum videlicet Visitationis B. Mariae Virginis, quando, ut praefertur, visitavit Elisabeth sexto Nonas Julii, annis singulis, in Dei Ecclesia, cum laudum cantico, laetitiae jubilo cordisque tripudio, sub duplici officio per orbem universum solemniter celebra-

retur. Suasit etiam et consuluit idem praedecessor, ut ipsius festi vigilia Nativitatis et Assumptionis praedictae Virginis festivitatum etiam in observatione jejunii devotius observaretur. Et mandavit quod simile, non tamen duplex officium absque alicujus Sancti commemoratione, exceptis primis vespere ante octavam apostolorum Petri et Pauli, et officio totius diei octavae, cum commemoratione tamen ejusdem novi festi, per septem sequentes dies in Dei Ecclesia cum celebritate debita decantetur.

§. 4. Ac etiam volens idem praedecessor Christifideles ad collendum tantae festum virginis et etiam celebrandum donis spiritualibus animare ipsosque mysticis de thesauris militantis Ecclesiae benedictionum munere cupiens praevenire: omnibus vere poenitentibus et confessis, qui matutinali officio festi ejusdem in Ecclesia, in qua idem officium celebraretur, interessent, centum, qui vero missae: totidem, qui autem primi festi vespere: similiter centum, qui autem secundis totidem, illis vero qui Primae, Tertiae, Sextae, Nonae ac completorii officii, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta dies, illis autem, qui per octavas festi praedicti matutinalibus, vespere, missae ac praedictarum horarum officii interessent, centum dies singulis octavarum ipsarum diebus de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisus de injunctis sibi poenitentibus misericorditer relaxavit.

§. 5. Ne autem, pro eo quod ipsius praedecessoris superveniente obitu literae apostolicae super praemissis confectae minime extiterunt, hujusmodi constitutio dicti praedecessoris frustratur effectu: volentes et auctoritate apostolica decernentes, quod hujus-

modi constitutio a dicta die, videlicet sexto Idus Aprilis, perinde sortiatur effectum ac si super ea praedecessoris literae sub ipsius diei dato confectae fuissent, prout superius enarratur: quodque praesentes literae ad probandum plene constitutionem hujusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur: universos patriarchas, archiepiscopos, episcopos et alios Ecclesiarum praelatos monemus et hortamur in Domino, per apostolica eis scripta in virtute sanct. obedientiae districtae praecipiente mandantes et in remissionem peccaminum injungentes, quatenus tam gloriosum festum et celebre annis singulis sexto Nonas Julii, ut praefertur, devote ac solemniter celebrent ac jejunium vigillae hujusmodi suadeant in augmentum meriti observari et faciant per universas Ecclesias suarum civitatum et dioecesium celebrari ac officium peragi supradictum: ut pia ejusdem Virginis Mariae intercessione ipsi Christifideles et hic a noxiis protegi et in futuro sempiterna gaudia consequi mereantur.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae voluntatis, constitutionis, monitionis, hortationis et mandati paginam infringere, etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 9. Nov. 1389.

(Bull. r. t. IV. pag. 602. Ed. Taur. 1859.)

Bonifacii PP. IX. literas super festo Visitationis sanctissimae Virginis Mariae confirmat Nicolaus.

Nicolaus V. Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum gesta Pontificum, quibus potissime salus animarum procu-

ratur recenseri convenit, ut illa omnibus innotescant.

§. 1. Hinc est quod Nos tenorem quarundam literarum felicitis recordationis Bonifacii Papae noni, praedecessoris nostri, in ejus registro compertum, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi et praesentibus annotari fecimus, qui est talis: Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Superni benignitas

§. 2. Caeterum, ut earundem literarum tenor praedictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat autoritate apostolica decernimus ut illud idem robur eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quae haberent originales literae supradictae, ut eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quaecumque et ubicumque fuerit exhibitus vel ostensus: ut eidem stetur firmiter in omnibus sicut ipsis originalibus literis staretur, si forent exhibitae vel ostensae. Per hoc autem nihil novi concedere intendimus, sed tantum per dictum praedecessorem concessa in suo robore permanere.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionis et intentionis infringere, etc.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 26. Mart. 1451.

(Bull. r. t. V. pag. 106. Ed. Taur. 1860.)

e) Occurrentia.

Ad dubium: An dum Dom. I. Julii occurrit festum Visitationis B. M. V. per novissimum gen. decretum elevatum ad ritum dupl. II. cl., ea ipsa dom. de Visitatione Deiparae recitari omnino debeat, translato ad feriam II.

immediate sequentem Officio pretiosissimi Sanguinis D. N. I. Chr. de anno 1849. IV. Id. Aug. sub pari ritu dupl. II. cl. ad universam Eccl. indulto? S. ipsa C. . . respondendum censuit:

„Affirmative in omnibus juxta memorata novissima Decreta.“

Atque iter rescripsit, declaravit servarique mandavit die 29. Mart. 1851. N. 5157 ad 9.

Vd.: *Visit. B. V. M.* (transl. decr. n. 5191.); *SS. Sanguis J. Chr.* (dies fest.)

Urbis et Orbis.

Quum SSmus D. N. Pius Papa IX. ab exordio sui Pontificatus praesentissimum ac validissimum B. M. V. patrocinium fuerit expertus dum aetate nostra Petri navis undequaque et raro exemplo saevis tempestatum fluctibus jactaretur et ipse acerbitate temporum ab Urbe discedere coactus ad multos menses ingemere debuit super immensa errorum peste longe lateque impune grassante, et insanientium hominum congerie in ecclesiastici status loca confluentium, ut et humana et divina jura pessum ipsi darent, ac animo reputans VI. Non. Jul. superiore anno, quo die ab Eccl. peculiare recolitur Festum Visitationis ejusdem Deiparae, fuisse excessum occupantium jugum ad Urbe, et aliquot post dies civilem Apost. Sedis Principatum fuisse restitutum opibus, consilio et armis inclytarum Nationum et Principum, accito Rmo Card. Aloysio Lambruschini Ep. Portuen. s. Rufinae et Centumcellarum, S. R. C. praefecto, decessores suos s. Pium V. et s. m. Pium VII. aemulatus Mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimae virgini, quae insperato sibi et fideli populo christiano in ad-

jutorium venit, hoc ipsum visitationis festum ducatur in posterum per universum orbem *ritu dupl. II. cl.* Atque hoc decretum in acta S. R. C. reponi ac publici juris fieri mandavit pridie Kal. Jun. 1850. n. 5144.

Valven. Sulmonen.

Quum festum Visitationis Deiparae ex apostolico Indulto in regno utriusque Siciliae instituatur sub duplici praecepto, quum hujusmodi festum vulgari titulo nuncupetur „gratiarum,“ Rmus Episcopus Valven. Sulmonen. anceps haerebat quodnam officium recitandum esset die 2. Julii, illud nimirum Visitationis an illud B. M. V. Gratiarum? Ad tollendam quocirca dubitationem omnem humillimas porrexit preces S. R. C. opportunam exposcens declarationem. Quae in ordinario coetu ad Quirinale subscripta die coadunata, referente me infra-scripto Secretario, respondendum censuit: „Servetur festum de praecepto cum officio Visitationis Beatae Mariae Virginis.“

Atque ita in posterum servandum esse mandavit die 27. Aug. 1836. Num. 4791.

e) Titularis.

Vd.: *Patronus* (transl. Solemnit. Patroni in dom. seq. decr. n. 4985.)

f) Translatio.

Ad dub.: Quum per decretum *Urbis et Orbis* sub die 31. Maii 1850 festum Visitationis B. M. V. elevatum sit ad ritum dupl. II. cl., quo pari sub ritu antecedenti anno 1849 die 10. Aug. concessum fuerat toti orbi pro Dom. I. Julii festum pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Chr. quaeritur: 1. Utrum festum Visitationis Deiparae sit unum ex festis primariis B. M. V. vel

ex secundariis tantum et consequenter quod horum festorum sit alteri praefendum in casu occurrentiae, qui locum habebit sequenti anno 1854? Quaeritur secundo: quomodo ordinandae sint vesperae pretiosissimi Sanguinis quando festum Visitationis incidit vel in Sabbatum vel in Feriam II.?

S. C. resp. quoad primam quaestionem: provisum per generale Decretum diei 10. Aug. 1849, in quo edicitur ut officium pretiosissimi Sanguinis transferatur occurrente Dom. I. Julii alio officio potioris vel aequalis ritus. Quoad 2. quaestionem: juxta rubricas.

Atque ita rescriptum fuit. N. 5191. Die 23. Junii 1853.

Vd.: *Visit. B. M. V.* (Occurr.)

Ad dub.: An off. Visit. B. V. M. die 2. Julii, in quo festum dedicat. Ecclesiae s. Jacobi occurrit, celebrari debeat die immediate sequenti, etiamsi fuerit dies dominica?

S. C. resp.: Faciendum est de officis, de quibus agitur, in die immediate sequenti, etiam in occursu dominicae, propter perpetuum impedimentum in propria die juxta alterum decretum Pisaur. 2. Julii 1712.

Die 20. Novembris 1717. *In una Urbis.*

g) Vesperae.

Congregationis scholarum piarum.

Quum anno vertente 1859 tribus subsequentibus diebus occurrant tria festa ritus duplicis secundae classis, videlicet sacri Cordis Jesu die prima Julii, Visitationis Beatae Mariae Virginis die secunda, et pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi die tertia ejusdem mensis, quaeritur: quomodo ordinandae sint vesperae praedictorum festorum in respectiva concurrentia?

Sacra Rituum Congregatio ad Vaticanum coadunata in ordinariis comitiis rescribendum censuit:

Juxta rubricas et hujus sacrae Congregationis decreta festum Visitationis Beatae Mariae Virginis habere debet integras utrasque vespas.

Die 26. Martii 1859.

(Anal. J. P. 1861 p. 250.)

6) Beneficiatorum.

Vd.: *Visit. Clericor.*

In Visit. Benef. peragenda est inquirendum de:

- 1) Nomine.
- 2) Cognomine.
- 3) Patria.
- 4) Aetate.
- 5) Beneficii titulo.
- 6) Pluralitate beneficiorum.
- 7) Pensionibus activis.
- 8) Passivis.
- 9) A quo collatio?
- 10) Quando?
- 11) Professione fidei.
- 12) Redditibus.
- 13) Oneribus.
- 14) Satisfactione.
- 15) Officio divino.
- 16) Praediis.
- 17) Finibus descriptis.
- 18) Arboribus caesis.
- 19) Alienatione.
- 20) Locatione.
- 21) Consanguineis
- 22) Inventario.
- 23) Bullae ostendantur.
- 24) Pactis simoniacis.
- 25) Facultate celebrandi.
- 26) Ministrandis Sacramentis.
- 27) Renuntiatione beneficii.
- 28) Publicatione.
- 29) Permutatione.
- 30) Unione.

Gavant. Merat. tom. V. pag. 68.
(Ed. Venet. 1823.)

7) Cancellarii.

In Visit. Canc. peragenda est inquirendum:

1) An scripturae tam actorum civilium quam criminalium integre et distincte in locis ac armariis aptis fideliter retineantur?

2) An retineatur liber bene compactus, in quo registrentur nomina et cognomina illorum, qui professionem fidei ad formam constit. Pii IV. (89.) emiserunt et an in dicto actu adhibeantur testes, cum expressione diei et anni, prout adhibendi sunt?

3) An retineatur liber pariter bene compactus, in quo adnotentur et registrentur supplices libelli, decreta et rescripta gratiosa, provisiones et permissiones episcopales, in quibus non conficiuntur processus?

4) An retineatur liber bene compactus et cartulatus, in quo adnotentur ea omnia, quae pertinent ad Moniales?

5) An retineatur liber, in quo adnotentur ordinationes generales et partic. aliaeve Episcopi pontif. functiones?

6) An acta Ordinandorum distincte ac ordinate serventur et custodiantur?

7) An adsit Inventarium omnium scripturarum et processuum?

8) An supradicti libri retinendi habeant in frontispitio seu titulo subscriptionem et approbationem Episcopi vel Vicarii gener. et Cancellarii illius temporis, quo fuerunt compacti et a principio inscripti, prout illam continere deberent, ut illis major fides praestari possit?

Monacell. t. I. in append. in fine et t. IV. suppl. ad 1. t. post n. 267.

8) Capellarum.

Vd.: *Visit. Orator.*

In Visit. Capell. peragenda est inquirendum de:

- 1) Altaribus.
- 2) Imaginibus.
- 3) Clausura contra bestias.
- 4) Reparatione.

Gavant. Merat. tom. V. pag. 66.
(Ed. Venet. 1823.)

9) Capellarum in ecclesiis regularibus erectarum.

Vd.: *Visit. (Confrat.; Eccles. regul.)*

Non potest Episcopus visitare capellas et altaria laicorum seu confraternitatum laicalium in Ecclesiis Regularium erecta, ut resolvit s. Congr. Concilii apud *Fagnan.* in cap.: *Grave gerimus* n. 48. et expresse *Pignatell.* tom. 10. consult. 39. n. 9. Quamvis enim possit Episcopus visitare confraternitates laicales erectas in Ecclesiis Regularium in iis, quae respiciunt administrationem et adimplementum onerum, ut pluries respondit tum s. Congr. Ep. tum sacra Congr. Concil., tamen nullatenus visitare potest capellas et altaria in Regularium Ecclesiis per ipsas confraternitates laicales constructa, ut pluries declaravit dicta s. Congr.

In Spoletana Juris visitandi S. C. 30. Sept. 1730 respondit, quod Episcopus visitare potest capellam confraternitatis sanctissimae Conceptionis in Ecclesia PP. Minorum Conventualium Terrae Montis Leonis ad formam decreti in Nucerina Pagnorum 25. Julii 1629.

In Ravennaten. Visitationis 7. Apr. 1731 ubi propositis tribus sequentibus dubiis:

I. „An Capella et altare s. Antonii sita in Ecclesia PP. Minorum de Ob-

servantia Ravennae subsit Visitationi Reverendissimi Archiepiscopi?“

II. „An ornamenta et suppellectilia ejusdem altaris et capellae spectantia ad eosdem Patres possint ab eo visitari?“

III. An ea spectantia ad societatem s. Antonii, quae in actu Visitationis servantur in arca aut in alio loco, visitari debeant in locis, in quibus asservantur seu potius asportanda sint intra capellam praefatam ibique visitari?“

S. Congr. Conc. die et anno quo supra respondit ad I: Affirmative ad formam Nucerinae. Ad II: Negative. Ad III: Posse visitari ubicumque serventur.

In Murana Visitationis 21. Junii 1732 S. C. C. ad 2. dub.: An Episcopus visitare possit altaria sanctissimi Rosarii et sancti Francisci existentis in Ecclesia PP. Minorum Conventualium oppidi s. Felicis in casu? respondit: Affirmative ad formam resolutionis in Nucerina Paganorum et amplius. Quam decreti in Nucerina Paganorum formam, quia fere semper secuta est sacra Congr. et signanter in Urbanien. Visitationis capellae 23. Sept. 1690 ut in lib. 40. decretor. p. 657., in Firmana jurisdictionis 4. Augusti 1714 ad 1. dub. in lib. 14. decretor. pag. 276. et pag. 303., in Spoletana juris visitandi 30. Sept. 1730 ut in libr. 80. decret. pag. 290. et in Ravennaten. Visitationis 7. Apr. 1731 ut in lib. 81. decr. pag. 244. et in d. Murana Visitationis 21. Jun. 1732, hic pro regula afferimus ad literam:

In Nucerina Paganorum 23. Junii 1629 sacra Congr. Conc. „in haerendo declarationibus alias factis, censuit: confraternitates laicorum, in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas, subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi illasque ab eo visitari posse